

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XLVIII. Quid sit maximum bonum quod homo facere potest coum
omni corpore suo.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

universalis Ecclesia et pro singulis, velut pro seipso, intercedit. Hæc oratio supernam Jerusalem velut novi solis ortu perlustrat. »

CAPUT XLVIII.

QUID SIT MAXIMUM BONUM QUOD HOMO FACERE POTEST CUM
OMNI CORPORE SUO.

ALIA vice dixit ad eam Dominus : « Maximum bonum et utilissimum quod homo ore suo facere potest, est laus Dei et confabulatio frequens cum Deo, scilicet in oratione. Laudabilissimum etiam Deo quod oculis facere potest, sunt amoris lacrymæ, et sacræ Scripturæ jugis lectio. Aurium vero est, libenter audire verbum Dei, et ad obediendum inclinatos esse et paratos. Fructuosissimum etiam quod manibus potest peragi, est elevatio manuum in pura oratione, et scribere. Optimum quoque cordis est Deum toto corde ferventer amare et desiderare, et meditatione de ipso dulciter cogitare. Totius corporis exercitatio, perutilis est genuflexio, veniæ et opera charitatis. »

CAPUT XLIX.

DE NOBILITATE ET PRETIOSITATE ANIMÆ, ET QUID SIT CORPUS
HOMINIS.

APPARUIT illi aliquando Rex gloriae Christus in eminenti loco, ineffabili gloria circumdatus, plenus deliciis, aurea

indutus fibula, in qua erant columbae intextae, et desubtus rubeo pallio cooperta. Haec vestis ex utraque parte erat aperta; quo figurabatur quod animae ad Deum undique patet accessus. Per rubeum pallium notabatur Christi passio, quae ejus Cordi semper exstitit intima, quam adhuc Patri repraesentat, pro homine incessanter interpellans. Columbae intextae exprimebant simplicitatem divini Cordis, quae semper erga hominem immutabilis perseverat, licet homo multoties a sua fide discedat. Anima autem cum se de longe sentiret, intra se illud prophetae cogitabat: *Heu! longe apparuit mihi Dominus* (JEREM. XXXI. 3). Cui ille respondit: « Quid ideo? ubicumque tu es, illic cœlum meum est; sive comedas, sive dormias, sive aliud quid facias, semper habitatio mea est in te. » Tunc illa cogitabat quid vere suum corpus esset; ad quod Dominus respondit: « Corpus tuum nihil aliud est quam vilos saccus, in quo reposita est crystallus liquorem continens pretiosum. Et sicut magna cautela saccus ille servaretur, ne huc et illuc projiceretur, forte crystallus frangeretur, et unguenti liquor effunderetur; sic homo propter animam suam continentem in se divinæ gratiæ liquorem et Spiritus Sancti unctionem, corpori suo parcere debet, et quinque sensus custodire, ne quidquam videat aut audiat, vel loquatur, per quod gratiæ meæ spiritualem unctionem possit effundere, vel Spiritum meum in se regnante profugare. »

Ubicumque
tu es, illic
cœlum
meum est.